

& Archi-Ducem Austriæ , Dominam Annam Hungariæ Reginam natam in uxorem legitimam , promittendo eidem nomine Principalis vestri fidem conjugalem , cui cum ipsi Oratores , Procuratores & Mandatarii respondent , Accipimus & promittimus, conversus, ad Serenissimam Dominam Annam junctis adhuc Amborum Dextris Videlicet Domini de Rogendorff & Serenissimæ Dominæ Annæ, etiam in vulgari Germanico dixit verba in hanc præcise Sententiam : Domina Anna Accipitis Dominum Ferdinandum Infantem Hispaniarum & Archi - Ducem Austriæ medio istorum Dominorum suæ Serenitatis Oratorum, Procuratorum , & Mandatariorum in matrimonium legitimum promittendo Ei fidem conjugalem ? ad quæ ipsa Serenissima Domina Anna , modeste & dilucide respondit , Accipio & promitto , quibus Dominus Abbas hæc verba subintulit , quos DEUS conjunxit , homo non separat . Insuper & dicti Domini Oratores , Procuratores & Mandatarij annum nomine Domini Ferdinandi sponsalitium in Arrham & Signum perfecti contractus matrimonialis eidem Serenissimæ Dominæ Annæ obtulerunt , quem illa in digitum manus benevola suscepit aliumque annulum vice versa in Arrham & Signum contractus matrimonialis , sic ut præmittitur perfecti , dictis Dominis Oratoribus , Procuratoribus & Mandatariis dedit eidem Domino & Marito suo Don Ferdinandu deferendum ac presentandum . Quo quidem annulo sic per ipsos Dominos Oratores , Procuratores & Mandatarios gratauerunt suscepto & faustis amborum Abbatum cæterorumque astantium præcationibus gratisque DEO Omnipotenti redditis dicti Oratores , Procuratores , & Mandatarii pro Serenissimo Domino suo Don Ferdinandu , nec non Serenissima ipsa Domina Anna nomine proprio sed & Serenissimi Hungariae Regis Oratores , Procuratores Mandatarii præmemorati pro Domino suo super prædictis omnibus & singulis a nobis Notariis publicis infra scriptis petierunt sibi unum vel plura publicum seu publica consici instrumentum seu instrumenta . Ata sunt hæc loco & tempore suprascriptis præsentibus ibidem , Illustri Domino Eugenio Principe Cypri , Reverendo & venerabili Patre Domino Leonardo Abbatte Monasterii Montis Sancti Georgii , & Generoso Domino Guilbelmo de Rapolstein divi quondam Cæsaris Maximiliani Magistro Curie & Præside Alsatiæ , Generoso Domino Bartholomæo de Firmiano earundem Serenissimarum Dominorum Magistro Curie , & Generoso Domino Guilbelmo de Rapolstein Juniore & Venerabilibus & Egregiis Dominis Johanne Piper & Ambrofio Tphofer Canonicis Ecclesiæ Cathedralis Brixinensis & Decretorum Doctoribus . Strenuis & Nobilibus Dominis Georgio Botsch Marescallo Regiminis in Innspruck , Carolo Trapp de Bisinno , Joanne Casparo de Laubenburg , Francisco de Castelalto , Guilhelmo de Reichenbach Magistro Curie Junioris Ducis Wirtenbergensis , omnes supradicti Equites Aurati , nec non Domino Hieronimo Baltuno Iltiusq; Juris Doctore Cæs. & Catholicæ Majestatis Consiliario , Joanne & Wolfgango Nobilibus de Schlandesberg Fratribus , Joanne de Neideck testibus ad hæc specialiter vocatis & rogatis , Aliisque quam pluribus fide dignis .

Deinde eadem die hora post meridiem fere sexta cum præmemoratae Serenissime Domina & Reginæ , deducentibus eas de dicta Ecclesia ad palatum , prænominatis Dominis Oratoribus , Procuratoribus & Mandatariis in Stubam magnæ aulæ proximam quæ Paradisus nuncupatur , tota curia Regentum & Nobilium comitante caterva , ingressæ fuissent ubi duo lectuli aureis tapetis decentissime instrati aderant Clarissima Domina Paula de Firmiano Vidua Suprema Magistra Curie ipsam Serenissimam Dominam Annam ad apprehendendam quasi possessionem maritalis thori cum Domino & Marito suo Don Ferdinandu in alterum lectulorum qui intrantibus de Aula ad dexteram stabat decenter imposuit & mox remotis Cortinis Dominus Guilhelmus de Rogendorff ad apprehendendam pari modo possessionem quasi conjugalis thori nomine Serenissimi Domini Don Ferdinandi Principalis sui cum Serenissima